



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1765**

**VD18 90118243**

§.43. Synodus Coloniensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](#)

Sæc. XIII. lapidum juxta viam regiam humatus est.  
 A.C. 1266. Galli Beneventum pontificiæ ditionis urbem expilarunt, quod Papa Regi Carolo exprobravit. Hæc victoria fractis Gibelinorum animis maximam Italæ partem ad præstandam summo Pontifici obedienciam reduxit.

## §. XLIII.

*Synodus Coloniensis.*

In Germania, quæ jam per annos quindecim nullum habebat Imperatorem, grandis erat licentia, & in bona personasque Ecclesiasticas impune manus injiciebantur. Hoc liquet e synodo diœcesana, quam Engelbertus Archiepiscopus Coloniensis 10. Maji an. 1266. celebravit, & in qua decretum quadraginta quinque puncta continens consentiente Collegio suo & totius diœcesis Clero edidit. Ejus summam vide! Si constet Clericum percussum esse, author violentiæ nominatim denunciabitur ab Ecclesiæ communione seclusus, sicut ipso facto est; ac præterea, si sit Dominus loci, ubi crimen commissum est, hic locus interdicto afficietur. Si fontes sex mensibus proscripti manserint, eorum terræ siquas habent, divinis erunt interdictæ: si nullas habeant, locorum, in quibus habitant, Domini monebuntur, ut eos ad

*to. II. Conc.*  
*p. 835.*

*c. I.*

al efflagitandam absolutionem ipsorum Sæcul.XIII.  
bona occupando vel alia ratione adigant. A.C. 1266.

Si Domini hoc negligant, ipsi proscriben-  
tur, & post anni spatum nulla in eorum  
terris divina fient. Eædem poenæ ex  
proportionis norma decernuntur in eos,  
qui templa, coenobia, vel ædificia eis  
obnoxia incendunt, aut effringunt; in  
illos, qui Ecclesiarum immunitates liber-  
tatesque violant; qui earum bona, spe-  
ciatim decimas diripiunt, aut per nefas  
usurpant; qui bellum gerentes in earum  
prædiis terrisque habitant; qui de bonis  
Ecclesiasticorum seu viventium seu mor-  
tuorum statuere audent; qui eos iter ter-  
ra vel navigio facientes tributa pendere  
cogunt; qui eos ad Judices profanos  
trahunt; qui synodos diocestanas, vel  
jurisdictionis Ecclesiasticæ executionem  
impediunt. In his cunctis casibus ana-  
themata & interdicta pronunciantur. Dif-  
ficultas sita erat in modis urgendi eorum  
observationem. Idcirco postea statuitur,  
ut ii, qui anni spatio in anathemate hæ-  
serint, coram Synodis tanquam contem-  
ptores clavum Ecclesiæ, &, quod con-  
sequitur, de hæresi suspecti accusentur,  
atque si opus fuerit, contra eos Magistra-  
tus civilis præsidium imploretur. Quod  
ad illos spectat, qui Clericos capiunt,  
& in carcere detinent, præter censuras  
decernitur, ut eorum liberi, fratres, fo-

c. 2.

c. 3.

c. 4. 5.

6. 7.

9. 10. 11. 14.

18.

38.

24. 25.

Gg 5 rores,

**Sæcul.XIII.** rores, nepotes, neptesque usque ad tertium gradum ab ordinibus sacris, beneficiis, & ingressu Ordinum Religiosorum arceantur, ac prædia beneficiaria, quæ ab Ecclesia habent, ad eam redeant.

**Sup. lib. 81.** Hujusmodi poenas, ut legimus, Concilium Quintinopolitanum an. 1230. sanxit. Hæc Synodus poenam in cognitos illorum, qui Clericos occiderint, vel mutilaverint, usque ad gradum quartum extendit.

**c. 31.**

Quidam Clerici Clericis aliis similes inferebant violentias: id quod augebat offensionem profanorum hominum, Clerique odium conflabat. Post anathema anni spatio toleratum Synodus præcipit, ut Clericus reus cunctis beneficiis suis ipso facto privetur, eaque aliis intramensem conferantur. Siquis Clericus alium ob litem carceri tradat, præter eandem poenam mox causa cadet. Qui Optimatibus ob causas memoratas proscriptis a facello sunt, intra mensis spatium suas abibunt demos, nisi persuader illis possint, ut Ecclesiæ satisfaciant. Hujus Synodi & illius temporis conciliorum decreta vitiorum tunc regnantium tristia potius testimonia erant quam media. Satius fuisset Cleri autoritatem ac reverentiam instaurare per informationem, boni exempli vitam & patientiam.

§. XLIV.